

IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO THEOLOGICA,
Eaq; Elenctica XXIII.

De

JNTERPRETATIONE
SCRIPTURARUM,
DEI O. M. AUXILIO,
ut et

Reverenda Fac. Theol. Suffragio, in Regia Acad. Aboënsi
si examinanda publicè,

PRÆSIDE.

DN. ENEVALDO SVENONIO, Q.G.A.
S.S.Th. Doct. Prof. Prim. & Ecclesiarum Ur-
bicularum atq; Numensis Pastore.

RESPONDENTE

M. GUSTAVO COLLINIO, Finl. Acad.
Aboensis Depositore.

In Audit. Sup. & Max. ad d. 7. Maij A.M.DC.LXX.

A B O Æ,

Excusa à PETRO HANSONIO, Acad. Typ.

жити
миянти
онихъ

Ad §. III. Respondeo infirmitate suæ sententiæ & e-
videntiâ nostræ convictum Masenium in conscientiâ suâ,
concedere nobis etiam illa priora ; dum ait : *Demus quoq;
& his ipsis nobiscum rationibus pares esse protestantes : adhuc tñ.
suâ jure causâ, adversum nos excent :* Instat n. idé, Catholi-
cam Ecclesiam in ultimo ac definitivo judicio formando,
an illa quæ à ministris vel Ecclesiâ seu confessione credé-
da proponuntur, cum S. scripturâ convenientia adeoq; de
fide necessaria sint nec ne, multis partibus esse potio-
rem, etiam quandò solus pontifex pronunciat sententi-
am. Vel ut format statum controversiæ cap. I. pag. 59:
*Quaritur ; an si privatus quispiam fidelium, hoc formet judi-
cium ; mea hac sententia, vel confessio fidei quam amplectitor, est
conformis scripture S. illa v. quam Ecclesia catholica amplecti-
tur diffinis est : contraq; hæc Ecclesia oppositum suo judicio
concludit, talis homo tuto possit suo nisi judicio, atq; illud, quod
universalis Ecclesia est, deserere ? Ad hoc dico &. intellige-
re Masenium per hunc privatum hominem, ipsum B. Lu-
therum, & sibi ipsi è diametro contradicere, dum for-
met talem statum : an si privatus quispiam FIDELIUM
hoc judicium instituat, cui tn. tutò nisi non possit ; si enim
fidelis est, & illud quod plurimum est deserat, sequitur,
quod aut plures isti errent, aut quod privatus iste non
sit Fidelis : sed retineamus concessum : Lutherum sc. fi-
delem fuisse, & plures istos nempe Pseudocatholicos
Romanos, meritò deserendos fuisse : adeoq; in tali casu
unum quempiam non amplius privatum esse, sed su-
stinere vices ecclesiæ universalis ad Exemplum Noachi,
Eliæ & S. Martyrum ob temporibus. Dico etiam B. Ma-
senium cum suis pontificijs, falsò supponere Fidem con-
sistere saltè in nudâ notitiâ historiæ de Christo & ejus*

378 MOIATAT C O N T R O V E R S I A
actis, & qualicunq; his præbito veritatis assensu, quam
quippe sine fiducia & applicatione meriti Christi exi-
stentem, non multum discrepare à fide diabolorum i-
pse Jacobus testatur c. 2: 19. *Credunt n. diaboli, sed contremi-
scunt.* Quis n. accuratiorem notitiam rerum sacrarum
inter creaturas obtinebit, quam ipse ḥ̄̄ιμωρ? Dico γ.
Nos eam definiendi in rebus controversis viam ingre-
di, quam communis in homine naturæ lux & ratio, o-
mnium nationum & judiciorum usus, omnis resp. o-
mnis curia, omnis adeò familia quantumcunq; barba-
ra & inculta monstrat, videlicet quod junctis suffragijs
in examine opinionum ad scripturas, contra *Unum Pon-
tificem Romanum*, quando solus ut caput judicat, pro-
nunciamus sententiam, eumq; quamdiu resistit, ut hæ-
reticum γὰρ χριστὸν ἀντεκείμενον. 2. Thes. 2: 4. nostrāq;
communione indignum anathematizamus: etenim non
agnoſcimus niſi unicum caput veræ Ecclesiæ, Christum
Iesum: monſtroſam n. illam bicipitem vel multicipitem
Romanam, qualis hodiè extat, justo zelo repudiamus:
unus n. est noster mediator & unus pontifex 1. Tim. 2:
5. Heb. 7: 23. seqq. Dicotandem δ. πράγματα φένδεσ hoc
est, quod postulat ſibi dari *Mafenius*, Eccleſiam sc. Ro-
manam eſſe Apostolicam & verè catholicam, cum tn.
antea invictissimis argumentis demonstravi eandem
eſſe apostaticam, Pseudo-Catholicam, hæreticam, ade-
oq; ab antiquâ illâ Eccleſiâ Romanâ, qualem Paulus fun-
davit & post ſe reliquit, degenerantissimam. Justè E. nos
Papam Romanum, ceu puerperam illam infelicem, exi-
ſtimamus & pronuntiamus ceu privatam quandam per-
ſonam, errabundam & impianam, ab universali Eccleſiâ
hoc eſt, verè Evangelicâ, damnari.

Ad

Ad §. iv. & ultimò Respondeo i. Ad ea, quod nos
 arguat affectibus carnis erroribus, & facile obnoxios, adeoq; phan-
 tasma nobis pro certitudine persuadere, nimirum æ. Ni-
 miūm superbè dominari conscientijs nostris, præsu-
 munt adversarij: quod tn. Dei solitus proprium esse no-
 vit Rex Romano-Catholicus Poloniae Stephanus, qui
 tria sibi Deum soli reservasse dixit. **B.** Dixi jam sapientius,
 affectu carnis obrutum cor, non esse præparatum ad me-
 ditandum S. scripturam, quamvis distincta sint notitia
 rerum sacrarum & ipsa praxis; sed operere esse illumi-
 natum à spiritu Dei Psal. 119. quemadmodum etiam pi-
 us zelus ab affectu carnis distinctissimus est; juxta illud:
Irascimini & nolite peccare Eph. 4: 26 **y.** Sed ut de ad-
 versarijs dicam speciem pietatis habentibus 2. Tim. 3.
 historialam nota, de Job. Capistrano Monacho Mino-
 ritâ, qui à Papâ Nicolao, in Germaniam & alias regiones missus
 est ad prædicandam obedientiam Romanam: is ut sua doctrina
 (sanctitatis) autoritatem aliquam ficeret, ludos & aleam ali-
 ag, ejusmodi civilia exercitia, ut sunt convivia, saltationes
 &c. prohibuit. Tantam deniq; sibi hæc hypocriti dignitatem
 acquisivit, ut à plerūq; pro sancto Dei homine adoraretur, cum
 tn. nihil sana doctrina de Christo, deq; ejus meritis, de recon-
 ciliatione cum patre per Christum, & de regeneratione in Chri-
 sto per spiritum S. & obedientia ergo Deum &c. teneret. Func-
 in Com. Chronol. L. X. not. ad A. Ch. 1453. hæc ille. Atq;
 ita didicit à suis Masenius: colare culices & deglutire
 camelos. **d.** De erroribus multoties respondi, sc. si non
 hypotheticè ut nos, sed absolutè ab omni errore im-
 munes sint pontificij, utiq; sunt supra Petrum Aposto-
 lum à Paulo graviter reprehensum Gal. 2: 14. quod etiam
 in Theologâ pontificiâ absurdum est: Ecclesia univer-

CONTROVERSIÆ
salis quâ & quamdiu talis, non errat, errare tñ. potest
quâ particularis est & considerata in actu exercito, ut
exempla docent τῶν προσκάρτων. Nos Deo laus, su-
mus contenti hâc certitudine, quæ sub hypothesi piæ
præparationis ad scripturæ meditationem necessariae,
retenta, infallibilis est. Adversarij verò tamdiu du-
bitabunt de veritate interpretationis scripturæ, quamdiu
de gratiâ Dei dubitant. Sed semper fatentur se dubi-
tare de hâc, nisi concilio Trid. contravenire velint. E.
semper dubitabunt de illâ e. De definito sensu quod
scribit, nihil est, neq; enim omnes patres consentiunt,
sed unus alterum refutat, ut videre est in controversiâ
de Melchizedek; neq; pontificij conspirant in ob. clau-
sulis, quid quod *Augustinus Marloratus Lotharingus*, Ec-
clesiastes Romanensis in Gallia, & monachus, conscripsit
declarationem quandam locorum scripturæ difficilio-
rum, collectam ex libris Lutheranorum & Calvinia-
norum, ut ex Hist. Eccl. Osiandri cent. 16. L. III. p. 433,
constat, quâ opus non fuisset, si tam secura & infallibilis
fuisset provocatio ad hunc definitum verbi Dei sensum
in papismo. Respondeo 11. ad ea quæ infert num. 2. Ca-
tholicos sc. amplecti ubiq; magis obvium, clarumq; & usita-
rum scripturæ sensum, ut ex conf. suâ conatur probare,
& statim addit hâc verba Majenius: Unde, si nec paren-
tum traditio, & institutio, nec scriptorum testimonia, nec pa-
trum consensus, nec universalis Ecclesie authoritas, nec ipsa
calu doctrina possest Catholicis subveniret; sed tanquam heri-
cum protestantibus nati, ad eandem scripturam concurrent,
planissima tñ. pro istis staret sententia. Dico a. si sensus scri-
pturæ est obvius & clarus; utiq; non est obscura, aut
& obscura est, ut o. pontificij criminantur, utiq; ejus
sensus.

sensus minimè obvius & clarus est: oportet E. menda-
cem esse memorem, ne sibi contradicat & fidem per-
dat. Dico g. Non tam aspiciendum, quid à pluribus
sit usitatum, quām quid à Sp. S. in verbo loquente ap-
probandum: multitudine enim errantium, non pariter
xori patrocinium. Neq; verum illud est, quod sensus
pontificius sit à patribus usitator. E. gr. Pontificij omnes
negant nos justificari & salvare Solā fide. cum tamen
Ambrosius dicat: *Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in
Christum, SALVUS sit, SINE OPERE, SOLA FL-
DE, gratis accipiens remissionem peccatorum.* Ut ex confess.
Augustinæ Art. vi. constat. Si a. inter nos & pontifi-
cios conveniret de hoc primario & fundamentali arti-
culo fidei, qui est de justificatione & salvatione, facili-
or nobis superesset reconciliationis spes de residuis. Dico.
g. quod statim ruit superstructum de traditione paren-
tum, scriptorum testimonij, patrū consensu, Univ. Eccles.
autoritate, doctrinæ possessione, ut taceam quod eodem
fundamento nitebantur judæi in disputatione cum Chri-
sto Joh. 8: 33. seqq. Adhæc, antea demonstratum est,
doctrinam pontificiam non nisi traditione apostolicâ
vel Pauli vel Petri, vel alius apostoli, sed apostaticâ, ubi
dictum de antiquitate nostræ doctrinæ & novitate ponti-
cie; Testimonia illa scriptorum sunt partim adulterata &
malâ fide citata, partim oppidò ἀρτιγραφα & falsa, un-
de quid de consensu patrum judicandum sit, cuivis pro-
num. Patrum consensum, si necessarius omnino foret
ad concipiendam fidem & salutem, quem tu esse prin-
cipium fidei sive id statuatur esse vel primarium, vel
secundarium, negamus; habemus nobis suffragantem
in ob. fidei articulis, ut ex compendio Theologia patrum

Domini D. Henrici Echarti nostri, professoris Giessensis publici, impresso Schleusingae A. Ch. 1609. constat. In quo ex xii. seculis 80. patres recenset, singulos fidei nostræ articulos magno consensu approbantes, suisq; testimonij corroborantes, quem omnino vide Maseni & refuta, si vir es. Ut a. illustrius appareat, te cum universâ cohorte pontificia, talis doctrinæ possessorum malæ fidei esse, universalis Ecclesiæ testimonia in articulo summo de justificatione statim enumerabo, & quidem optimâ conscientiâ & fide. Ideoq; Respondeo iii. ad ea quæ infert num. 3. & ultimâ. Verba ibidem Masenij hæc sunt sequentia:

3. Deniḡ (attendite quæ centies, pro reducendis ad veritatis agnitionem errantibus indulgeam) si haec tenui nulla esset utriusq; partis in scripturis interpretandis disparitas; tamen adhuc Catholici longè vincerent. Nam ut utrinḡ conceditur: affectus, & intellectus rectè judicantis, in scripturâ controverrà, favere spiritui potius debet, quam carni; quod animalis homo non percipiat illa quæ spiritus sunt. Nam ego universum orbem, ipsosq; adeo protestantes, hâc in re judices constitua; ut videant, enuncientq; ultra partium in suâ, ex S. literis haustrâ, fidei doctrinâ magis carni addicta sit. Dicane, utrum magis carni favat, suâ libertate ac judicio constituere ac deservire omnia, quam Ecclesiæ imperium, judiciumq; observare, suumq; illi submittere, postquam semel ex S. Literis ipsius infallibilem autoritatem agnovit? Utrum, statuere, Solâ fide aut fiduciâ in Christum Deo satisfieri, ad hoc, ut justificemur, certosq; salvemur; quam negare, hoc in adultis secluso bonorum operum, nostrisq; simul laboris onere, ac merito, posse? Utrum, deseruere quod credenti sibi per Christum remissa peccata esse, satis ad pœnitentiam sit; an exi-

geret,

gere, ut hac etiam singulatim, cum adjunctis gravantibus,
 quantumvis enormia & pudenda sint, sacerdoti exponantur?
 utrum carni magis patrocinatur, concedere, quod Christus ita
 satifecerit, pro reatu pena aeterno patri, unibil nobis luendum
 restet; an, quod hæc nobis satisfactione, citra nostram abstinen-
 tiæ, afflictionemq; carnis non applicetur? Utrum blandius, Ec-
 clesia pastoribus, Episcopisq; præcipere, ut continentes, etiam
 inter carnis stimulos sint, ac Paulo similes, uxore etiam, si ha-
 beant, dimissâ, current ea que Dei sunt; an ut liberis & uxori
 dent operam, deg̃ bis solliciti, current ea qua mundi sunt?
 utrum carni optabilius, credere, quod quantumvis omni scelle-
 re coquinatis, modo tantum fidant sibi Christi meritis in-
 dulgeri omnia, statim ab ipsâ morte cœlum pateat; an quod
 debitâ non dum penæ satisfactione praefitâ, alibi luendum sit,
 inter purgantes flammæ afflictione, quod hic neglectum est?
 Hæc aliaq; nostris ego adversarîs dijudicanda offero, ut ipsi me
 pronuncient, utra magis partium suâ ex s. literis ducta senten-
 ziâ, carni & cupiditati lenocinetur: utri ex his animales
 potius, utri spirituales, qui omnia benè dijudicent, existimam-
 di sint? Unum est, quod adversum Catholicos pleriq; in ore
 ferunt. Uni illos homini Romano pontifici, tanquam Deo cre-
 dere: nam ut primum is de cathedrâ, tanquam universalis Eccle-
 sia doctor, aliquid credendum prescribit, quod ante hac etiam
 de fide non fuit, repente omnes ad credendum obligari. Ve-
 rum hoc in casu, & sum. Pontifex, & quilibet fidelis ita pro-
 greditur, ut longè securius, quam à protestantibus passim fieri
 solet, incedatur. Componamus enim vulgus hominum, qui
 legendi imperiti, suos audiunt prædicantes, cum Catholicis, qui
 pontificem novi aliquid (quod rarum est) de fide decernentem
 attendunt. Illis utiq; concedent, res credendas à prædicante
 recte proponi, & hos recte apprehendere, ac credere verbo Dei
 posse.

384 C O N T R O V E R S I A .
posse. Talis itaq; prædicans cum duo præstet: Primum imperito vulgo exponat, quod sit verbum Dei; secundò eidem sensum verbi Dei, in reb. controversis explicet: in utroq; verò falli ut homo possit: tamen necessariò existimant protestantes idiote ejusmodi satis de salute prospectum esse. Quod si igitur unus prædicantis propositio sufficiens credibilitatis argumentum ad verbum Dei ejusq; sensum acceptandum alicui esse possit; quis catholico prohibeat, ut pontifici, quem novit, nil nisi cum doctorum Ecclesie, sive extra, sive intra concilium, approbatione, atq; examine collationeq; cum S. Scripturâ, sanctisq; patribus factâ, decernere: quemq; non agnoscit, ut privatum hominem, sed legatum & vicarium Christi, atq; universalis Ecclesie, cui præsidet, caput ac vocem, quiq; nunquam hactenus in ejusmodi pronunciatis, nisi ab hereticis, errasse arguitur: imò ex sensu Ecclesie universalis loquens errare non possit; cum illa sit columna & firmamentum veritatis? En quanta hic concurrunt præsidia veritatis, quibus longe certius inducar, ut credam Rom. pontificem mihi verbum Dei, certumq; ejus sensum potius exponere, quam privatum, atq; indectum sepè, prædicantem. Et si quicq; sibi ex protestantibus audet spiritum veritatis à Deo promittere; an audebit illam jure aliquo Pontifici Romano derogare, tot sibi titulis præferendo? Planè sani hominis non est, tām manifestis rationibus obluctari.

Respondeo 1. Quamvis per enormia & mortalia peccata Spiritus S. perturbetur, imò tandem ejicitur atq; fugatur, Gal. 5: 19. 20. 21. 25. Eph. 4: 30. 1. Sam. 16: 14. Nihilominus tamen ὁ Θεός ἡμών & ὁ Θεός βοῶς non sunt res necessariò connexæ: potest enim etiam hereticus bene agere, quamvis male doceat; sed tamen quia à viâ salutis errat, manet homo ψυχικός seu animalis, 1. Cor. 2: 14. R. 2. Ponamus, magis carni favere, suo

suo judicio definire omnia quam observare imperium Ecclesiæ, non dum tamen probatum est B. Lutherum & libertate usum fuisse, ut autoritatem Ecclesiæ universalis spreverit, ut paulò post patebit, quamvis amorem Ecclesiæ Romanæ degenerantis millies à fundatore Paulo, repudiaverit. *Resp.* 3. Non queritur, quid nobis appareat magis carni addictum nec ne, sed quid spiritui sancto fixum maneat in verbo loquenti; Abrahamum Patrem credentium & quidem adultum fuisse justificatum apud Deum, adeoq; in spe salvatum, antequam natus erat filius, quem offerre voluit, Iesus, quam actionem vocat justificationem coram hominibus *Apost. Jacobus*, c. 2:21. constat ex Gen.15:6. *Creditit Abraham Deo, & hoc imputatum est ei ad justitiam.* Conferatur hic locus cum Rom. 4: ubi vox ἀργισθαί undecim vicibus repetitur, justificatio & salvatio nostra soli Fidei adscribitur, ut omnis gloria Deum maneat & meritum Christi solum triumphet Ps. 115: 1. Esa. 63: 2. *solus tuncular calcavi. conf. Dan. 9: 7. 8. 9. Resp.* 4. Alius Articulus poenitentia est, alias justificatio seu salvatio, iste n. requirit contritionem & fidem Mat. 11: 28. Apol. Aug. conf. pag. m. 168. Marc. 1: 15. Hic verò solam fidem à parte nostri, Rom. 4: 6. Eph. 2: 8. 9. ut nil nunc dicam de confessione privatâ, an sufficiat sacerdoti exponere peccata in genere & cum Davide fateri ex Psal. 32: 6. *Confitebar iniquitatem meam Domino, & tu remisisti inquitatem delitti mei.* Nec non cum publicano; *Deus esto propitius mihi peccatori* Matth. 5: an scripulose onerare conscientiam enumerandis delictis quæ quis non intelligit sed occulta sunt Psal. 19: 15. *Resp.* 5. Credimus ita satisfecisse pro reatu pœnæ æterno patri Christum, ut nobis satisfactio illa applicetur non per nostram abstinentiam aut afflictionem carnis Luc. 17: 10. *servi inutiles sumus &c. sed per solam Dei atq; merè gratuitam imputationem fide apprehensam; mercedem quoq; nos reportaturos in cœlo, sed gratuitam: donum n. vita æterna* est Rom. 6: 23. *Resp.* 6. Dic utrum magis carni faveat, an spi-

ritui, uxori adhærere in pio & honesto conjugio, quod in omnibus honorabile est Heb. 13. an vagis urgeti libidinibus? Et utrum spiritui magis placeat, mandato apostolico parere: *Melius est nubere quam uri*, 1. Cor. 7. an eidem contradicere ac contravenire cum Masenio & socijs dicentibus: *Melius est uri quam nubere*. quid n. aliud est, mandare continentiam etiam inter carnis stimulos? ò nimium apostolicam Ecclesiam hodie Romanam, quæ tanto ausu suo fundatori Apostolo Paulo in os ait: *Mentiris*. Resp. 7. Hoc ego potiore jure adversarijs dijudicandum offero, utri ex his animales potius utri spiritualiores sunt, adeoq; beatiores qui fidunt Christi meritis indulgeri omnia statimq; ab ipsâ morte sibi cœlum patere cum Latrone in Cruce; an qui de debitrâ pœnæ satisfactione præstítâ diffidunt & expectant postmortem afflictionem inter purgantes flammas cum dubitativis papistis? *Reſp.* .8 Argumentari à credibilitate unius simplicis & veri prædicantis, ad credibilitatem pontificis Romani N.V.C. Ille n. non est privatus aliquis, sed vicem gerit Christi, dicentis: *qui nos audit me audit*: satis n. ad concionandum eruditus est qui verbum Dei purè docet, quod testimonium habet in seipso Luc. 24:32. succurrunt n. doctiores, Deo laus, ubi opus fuerit refutare adversarios. *Hic v.* Apostata est imò AntiChristus 2. Tim. 4:1. 2. 3. 2. Thes. 2:3. 4. seqq. qui tantum abest ut non erret, aut loquatur ex senti Ecclesiæ universalis, quæ quatenus *columna & firmamentum veritatis sit*, ante expositura est, nempe testificatoriè; ut potius contra illam eandem verè catholicam Ecclesiam, examine collationeq; cum S. scripturâ sanctisq; patribus factâ, decernat. Et quoniam toties, in causa doctrinæ, principio sc. medio & fine, hoc est, sine intermissione provocat *Masenius* cum socijs ad consensum antiquitatis & testimonium patrum, omnino è re veritatis esse arbitror, ad oculum demonstrare in articulo fidei primario qui est de *justificatione & salvatione*, nostram sententiam in scriptis S. patrum Luculentissimis verbis extare; adversam verò pontificiorum, vi contrariorum, in ijsdem damnari. Ponatur e. *justificationis*.

I. Definitio.

Justificatio est remissio peccatorum, ab homine credente in Christum, sine opere, sola fide gratis accepta. Ambr. in I. Cor. i.

II. Causa principalis.

Dignum est, ut per eum fiat remissio, per quem facta est creatio: & ipse sit largitor gratiae, qui omnibus suis auctor naturæ, Greg. in Psal. pœnit.

III. Causa ἀγορῆς μὲν seu impulsiva, nempe gratia
Dei univ.

Ut reus damnetur, inculpabilis est Dei justitia: ut a. reus justificetur, ineffabilis est Dei gratia, Augustin. ad Art. Fals. Resp. 2. Gratia est, quæ gratis datur, non meritis operantis, sed miseratione donantis. idem Aug. L. de grat. N. T. c. 19.

Gratia dicitur gratis data, non merces reddita, sed VENIA gratis collata: ex hoc, quia sine merito hominum misit Deus filium suum, qui nos suo sanguine redemit, & ad filiationem perduxit Haymo in c. 1. Apoc.

Gratia Dei est Misericordia, quâ sine ullis precedentibus meritis, pœnitentibus tribuet veniam. Greg. in Psal. pœnit. cum fides imperat justificationem, non GRATIAM Dei aliquid meriti precedit humani; sed ipsa gratia meretur augeri, ut sueta mereatur perfici, comitante non ducente: pedissequâ, non præviâ voluntate. Anselmus in c. 5. ad Rom.

Si gratia est, gratis datur, quid est gratis datur? Gratia constat. Nihil boni fecisti, & datur tibi remissio peccatorum: Attendantur opera tua, & inveniuntur mala: si quod debetur, Deus ipsis operibus redderet, utique damnaret: non tibi reddit Deus debitam pœnam, sed donat indebitam gratiam, Aug. in Psal. 31.

Nullum esse hominis meritum in accipiendâ gratiâ ad salutem Paulus apostolus docet, scribens ad Ephesios; Deus, qui dives est misericordiâ, propter nimiam Charitatem suam, quâ dilexit nos, & cum essemus mortui peccatis, conviviscavit nos Christo, cuius gratia ipsis salvati. Idem Augustin. L. 3. cont. Pelag. item in Psal. 30. quare gratia gratis datur, quia me-

rita tua præcesserunt, sed beneficia Dei te prævenerunt.

Item: *Gratia*, sine quâ, nec infantes, nec ætate grandes salvi fieri possunt, non meritis redditur, sed gratis datur: propter quod & *gratia* vocatur. Idem de Nat. & grat. c. 4. contra pelag.

Quid si meritis de congruo?

*Si ullis meritis datur, jam non gratis donatur, sed debita redditur, ac per hoc, non vero nomine *Gratia* nuncupatur.*
Idem August. de patient. c. 20.

IV. Causa Meritoria seu materialis sc.
meritum Christi.

Remissio peccatorum est in sanguine Christi. Chrys. Rom.
3. in Marc.

Mors Iesu justificatio est peccatorum Amb. in c. 4. ad Gal.

Crux Christi totius beatitudinis nobis est causa: hac nos à Cœcitate liberavit erroris, hac e tenebris reddidit Luci, hac debellatos quieti sociavit, alienatos Deo conjunxit: hac longè constitutos, Deo proximos presentavit; hac peregrinantes fecit cives: hac firmamentum pacis, discordia amputatio, & bonorum omnium abundalargitio. Chrys. in c. 6. Esa.

Vera justitia est Christus, qui nobis ex Deo factus est justitia &c. Basil. L. de div. just. idem docet Epiph. in Ancorato.

Memorabor justitiae solius, ipsa n. est mea. nempe factus es mihi tu justitia à Deo. Nunquid mihi verendum est, ne non una ambobas sufficiat? non est pallium breve, quod secundum prophetam non posset operire duos. Justitia tua, justitia in eternum. Bernhard. serm. 61. in Cant.

In justitiâ tuâ libera me & in TUA justitiâ, non in MEA; quia MEA quid? præcessit iniquitas. Et cum ero justus TUA justitia erit: quia justitia mihi ab te data justus ero, & sic erit MEA, ut TUA sit: in eum n. credo, qui justificat impium, ut deputetur fides mea ad justitiam. Erit & & sic justitia TUA MEA, non tn. tanquam propriam mea, Aug. super Ps 70.

v. Causa organica, quæ Fides est, eaq; sola, ut constet
hanc doctrinam non esse primùm inventam à B. Luthero,
ut criminantur pontificij. Nulla.

Nullâ prorsus re alia liberamur, Nisi per Fidem. Chrys. in c. 8. Mat. item; Non ex operib. sed ex fide salus hominibus eterna prestatur ibidem, nec aliunde salutis remedium, nisi ex Fide, Philast. in catal. hæref.

Gratia (justificationis) sola fide apprehenditur, non ex operibus; Ipsych. in Lev. c. 14.

Tum valet, cum nihil accesserit ex lege, Chrys. in c. 3. ad Gal. Ex Fide est justitia citra opera legis. Epiph. in Ancorato. Christus in ipsum credentibus, etiam ipsis, qui nihil justè egerrunt, justitiae autor est & collator. Theodul. in c. 5. ad Rom. Hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christum, salvus sit sine opere, Solā fide gratis accipiens remissionem peccatorum. Ambros. in t. Chor. i. similiter in c. 3. & 4. ad Rom. aliquoties repetit exclusiā. Ideoq; confessores Augustani, hunc voluerunt expresse allegare, ad Art. vi.

Per Fidem Solummodo officitur fidelis perfectus. Clemens Alexand. L. 7. strom.

Deus ex SOLA Fide justificat. Hieronymus in c. 4. & 10. ad Rom.

SOLUM credere, justitia est. Nazianzen. in orat. de mod. in disp.

Non amplius rationibus sed sola fide opus est. Chrys. in t. Cor. I. & porro: Ex SOLA quippe Fide nos salvavit, idem in c. 2. ad Eph. SOLA Fide, peccatorum remissionem accipimus. Theodor. in c. 3. ad Rom. item: Non nostrā sponte credidimus, sed vocati accessimus: & cum accesssemus, non exegit virtutē puritatem & innocentiam, sed SOLA Fide suscepta condonavit peccata, Idem in c. 2. ad Eph.

Impium Deus per SOLAM Fidem justificat, non per opem. Primasius Augustini discipulus in c. 4. & 5. ad Rom.

Ipsa Lex nihil profuit ad promissiones Abramæ factas: Sed SOLA Fides. Theodul. in c. 4. ad Rom.

Ad remissionem peccatorum SOLA Credulitas sufficit. Fortunatus in expos. Symboli.

At ille (Abraham) credidit, & nuda Fidei consensio SOLA plenam ad justitiae & meriti reputata coronam est. Poteft homo sine operibus justificari, et si foris non exit in opere. Sedulius in c. 3. ad Romi.

Non.

Non ex benefactis, non laboribus, non pensatione, sed ex SOLA GRATIA justificat Deus genus nostrum. Chrysost. Oration. 4. cont. iud.

Ipsa nostra (operum) justitia ad examen divinae justitiae deducta, in iustitia est, & sordet in distributione judicis, quod in estimatione fulget operantis. Unde Paulus, cum diceret: nihil mibi conscient sum: protinus adjunxit: sed in hoc non justificatus sum. In omnibus quippe operibus nostris adhuc distributione examinis flagella sunt metuenda, quia & ipsa nostra perfectio culpâ non caret. Greg. in c. 3. Job.

Non operibus justificamur, sed Fide: quoniam carnalis infirmitas, operibus est impedimento. Ambros. de vita beatâ.

Impium Deus justificat; non a. per opera, quæ nulla habet: sicut secundum opera, puniendus est, non liberandus. Prima pars in c. 4. ad Rom.

Qui sunt beati? non in quib. Deus non invenerit peccatum, nam in omnibus invenit: omnes n. peccaverunt & gent gloria Dei. Si E. in ob. peccata inveniuntur, remanet ut non sint beati, nisi quorum remissa sunt peccata. Aug. in Psal. 31.

Miseratus Deus genus humanum, cum illud ad explenda legis opera affirmatum vidisset, jam non ex operibus salvare, sed PER GRATIAM hominem voluit. Quæ ex misericordia præbetur atq; compassione, & Fide comprehenditur SOLA, non operibus, ut Paulus ad Ephesios habet: alios qui Gratia non erit Gratia. Ilych. L. 4. in c. 14. Levit.

Nullus procul dubio precedentibus meritis salvatur, ne gratia non sit gratia. Aug. de jnvoc. c. 284.

Gratia est, quæ nullo merito, nullus opere salvamur. Anselmus in Epist. ad Phil.

Credens impio in Christum, sine operibus legis reputatur fides ejus ad justitiam. Sedul. in c. 4. ad Rom.

Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus legis. Dicit sufficere Solius Fidei justificationem, ita ut credens quis tantummodo justificetur, etiam si nihil ab eo operis fuerit expletum. Origenes L. 3. in Ep. ad Rom. Et ne cum papistis, non assertive sed dubitative aut putative loquatur Apostolus, quasi dicere: Arbitramur?

Dicit Apostolus Arbitramur, pro eo quod est, rationibus certis acce-

DE SCRIPTURÆ S. INTERPRETATIONE 39¹
accidentes putamus, justitiam Fidei, omnem hominem volentem
esse participem ejusdem, si ne operibus legis justificari. Theo-
dul. in c. 3. Rom.

Abraham non ex operibus justificatus est, sed ex fide. Clem.
L. 1. Strom. Quomodo Abraham credens ex gentibus, per Sol-
lam Fidem justificatus est; ita cæteri fidem ejus imitantes sal-
vantur. Sedul. in c. 4. ad Rom. Non n. Patriarchæ solummo-
dò causa scripta sunt, verum & propter nos, ut exemplo A-
braham nobis proposito fideles efficiantur, eundemq; ad mo-
dum Fides ejus ad justitiam nobis reputetur. Theodul. in c.
4. ad Rom.

Abraham non morte ad coronam venit: sed Fide in Deum:
alijq; item sancti, Gedeon, Barak, Samson, jephta, David,
Samuel, socijq; illorum, non effuso sanguine consummati
sunt, sed per fidem justificati. Athanasius Or. 1. cont. Arian.
LATRO Credidit duntaxat, & justificatus est à Misericordissimo Deo. Atq;
hic, ne mibi dixeris, defuisse ei tempus, quo justè viveret, & honesta faceret
opera! Neq; n. de hoc contenderim ego, sed illud unum asseverarerim, quod
SOLA FIDES per se salvum fecerit. Chrys. serm. de Fide.

Quantum ad exemplum attinet, sufficere arbitror illum Latronem, qui
cum Christo crucifixus, clamavit ei de cruce: Domine. Nec aliud quis
quam describitur boni operis ejus in Evangelij, sed pro hac Solâ Fide ait
ei Jesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris. Non requisivit Dominus,
quid prius operatus esset: nec expectavit quid operis, cum credidisset, ex-
pleret: sed SOLA FIDE justificatum, comitemque sibi paradisum ingressus
tus assumpit. Orig. L. 3. in Ep. ad Rom.

Item: Ex nullo legis opere, sed pro solâ fide, ait ad illam mulierem:
Remittuntur tibi peccata tua, ibid. idem.

Gratis Deus omnia suâ pietate concedit, nec cuiusquam meritum exigit
quid n. meruit Latro, ut sic velociter Paradisum introiret? quid publicus
nus, qui repente de templo, absolutus exivit? Constat E. pro nihil pecca-
tores salvos fieri, quando certum est, conversionem gratuitâ largitate con-
cedi. Cassiodorus in Psal. 55.

Una Fides justificat universorum temporum sanctos. Leo-
serm. 14. de Nativ.

Abraham concupivit videre diem meum, & vidit, & gavisus est: non n.
quisquam præter eam fidem, quæ est in Christo Jesu, sive ante ejus incar-
nationem, sive postea reconciliatus fuit Deo, cum sit ab Apostolo veratissi-
me definitum: unus Deus & unus mediator, Dei & hominum, homo Christus
Iesus. Aug. in Psal. 104.

Item

Item: Ex una eademq; fide, quā nos vivimus, vixerunt antiqui omnes justi: nisi quod incarnationem, passionem, resurrectionemq; Christi crederent illi futuram, quam nos credimus factam. *Idem Aug. L. 3. Cont. duas Ep. pedag.*

Nullum ab Adam hucusq; per naturæ vigorem credimus esse salvatum, nisi dono gratiæ in fide nominis Iesu, quia non est aliud nomen sub cœlo. &c. *Maxent. in suâ confess.*

Vides ergò tandem *Maseni*, quòd nos interpretemur scripturas, & quidem in summo & fundamentali articulo fidei, non ex spiritu privato, ὅτι πᾶσα προφητεία γράψις ἐπίλυσες & γίνεται, 2. Pet. 1: 20. sed ex ductu spiritus in scripturâ S. loquentis, τῇ πνέῳ μαρτυρῶντες ἀληθέρας μαρτυρίου τοῖς τῷ Χριστῷ, Joh. 15: 26. quem verè catholica Ecclesia universis temporibus secuta est, ad quam nos jure optimo, etiam in singulis fidei articulis ubi opus fuerit, ceu testem provocamus; cuius caput est solus Christus, nequaque v, ad apostaticam Romanam, cuius caput est Papa, quippe qui non didicit humilitatem à Christo juxta mandatum ejus. Matt. 21: 29. sed superbiam & mendacium à diabolo, talia n. passim spargit emblemata: Quòd Papæ attributa sit omnis potestas in regno Christi, Albert. pig. quod apud Deum & papam sufficiat pro ratione voluntas, Joh. Capistr. Mos. naeh. Papa sit Rex Regum omnesq; mortales sibi habeat subditos, Bald. quod idem consistorium habeat cum Deo, & idem tribunal cum Christo, quodq; sit quoddam numen, quasi visibilem Deum præ se ferens, Ludovicus Gomes. Quòd à papa he ad Deum quidem appellari possit, quòd major sit Paulo, & Petro in administratione æqualis, Anton. de Rosell. Quòd Papa possit angelis mandare ut universum purgatorium expurgent. Quòd cæsarea M. tas si ferræ per se iners & instrumentum inutile, nisi trahatur à papa. quòd imperator Romanus teneatq; papæ ad mensam inservire: si equitare velit, frenum equi & stapediam alteram tenere: si in sellâ portari malit, manum per aliquot gressus admoveare &c. videre apud Joh. Volf. T. I Lect. mem. Haccine est discere à Christo in tein esse de humilem corde? Julius Pa. pa patiebatur sibi acclamari publicè in concilio Romano: Tu es omnia, omnis potestas tibi data est in cœlo & in terrâ. Quid? quòd Alexander III. papa, imperatorem Fridericum Barbarosam publicè Venetijs pedibus calcavit, non aliter interpretatus verbis Pl. 91: 13. super aspidem & basiliscum ambulabis &c. Hæc inquam est insolentia hominis illius nequam, filij perditionis, qui se se opponit & effert super omne quod Deus dicitur, adeò ut in templo Dei tans quam Deus sedeat, præ se ferens se esse Deum, quem tu, o Domine Jesu confice spiritu oris tui, & illustri tuo adventu destrue! 2. Thes. 2: 3. 4. 8. Tantum, per Dei gratiam, de scripturâ S. contra pontificios, imprimisq; de eiusdem interpretatione contra hodiernum *Masenium* Jesuitam colonensem, hac vice scriptum & dictum esto. Gloria Soli Deo, nobis confusio facies,

Dan. 9: 8! J M M A N U E L!